

B. h. II, b.  
h. 10, v.

(X 1880 724)

I. N. I. C.



# CONDUCTOR CAROLINUS

Sive

DE CONDUCTU ELECTORIBUS  
EORUMQUE LEGATIS ELECTIONIS  
PER AGENDÆ CAUSA ITER FACIENTI-  
BUS DEBITO.

De quo

In Inclita Argentoratensi Academiâ

PRÆ SIDE

## JOHANNE HEINRICO BOECLERO,

Historiarum Professore Ordinario,

In SOLENNI congressu respondebit

PAULUS à Stetten / Patricius  
Augustanus.

Mensi Novembris, Anno M. DC. LXIII.

ARGENTORATI,  
EDITIO SECUNDA.

Denuò nunc Recusa ANNO M. DC. XCI.

26





I. N. I. C.

# CONDUCTOR CAROLINUS

ad A. B. caput I. usqve ad §. 18.

*De ipsa Aurea Bulla judicium Possevini  
præmissum examinatur.*



Pponemus ab initio , loco proœmii .  
Scriptoris Itali Antonii Possevini Junioris  
Philosophi & Medici Mantuani ex Lib. IV.  
Gonzaga, pag. 400. de Aurea Bulla men-  
tionem. Dum hæc, inquit, Mantua agerent-  
tur, Germania in pace erat ; Cæsari, Electori-  
bus ac Regni Proceribus , quanta nunquam  
hactenus concordia intercesserat , ut nul-  
lo extrinsecus convelli posse crederetur. Nec ea populorum, sed Do-  
mini modestia erat ; quo turbas ac discordias aversante, subditæ  
ferme omnes conquiescunt. Itaque Carolus præsentis ac futuri  
juxta providus, demendas consternationibus gentis causas judicans,  
leges q̄ imponendas, quibus contentionum semina vellerentur, &  
eterna Magnatibus amicitia interponeretur, animum remedio in-  
tendit. Longa enim experientia innotuerat, si inter Electores dis-  
sidio certaretur, difficillimo bello causam dari, quæ reliquum Impe-  
rium abriperet. Sic Henricos, Federicos, nec minus se, contuma-  
cia exercitos, & victoriam Imperatori suo sanguine quæsitam .  
Convocatis regni Proceribus, Millesimo tercentesimo septuagesimo  
sexto(anno quinquagesimo sexto debuit dicere) de modo di-  
cendorum Cæsarum, ordine Principum, Imperii juribus attum est.

A 2

Sic

Sic vetus consuetudo restituta, abusus qui obrepserant sublati, & addita, quæ communi bono profutura credebantur: idq; diploma-  
te cui Bullæ Aureæ nomen ex rei dignitate impositum. Non sunt  
hæc ad historiæ fidem usquequaque exacta, ut omnes vi-  
dent. Sed memorabilistamen locus haberi debet, quomo-  
do ista res ad exterros pervenerit: cum præsertim hic scri-  
ptor inter eos ponere mereatur, qui judicio graviore historias  
tractarunt. De concordia Electorum, & per hanc univer-  
sorum Statuum Imperii, bene in judicium compedit, quæ in  
ipsa Bulla legerat. De causis discordiarum Germanicarum,  
more Italorum sensit: qui turbas ab Italia in Germaniam  
profeminatas Germanorum ingenio invidiose solent tribue-  
re. Argumentum Aureæ Bullæ παχυλῶς & rudi admodum  
Minerva signavit. Interim, quamquam Aurea Bulla præci-  
pue Jura Electorum & Electionis prosequatur, nobilissimum  
tamen Juris publici monumentum merito habetur, & à ple-  
risque omnibus Lex Imperii fundamentalis laudatur. Quod  
elogium tamen paulo aliter, ac vulgo fieri solet, explican-  
dum est. Non enim satis accurate dicunt: Lex fundamen-  
tal is est, quæ Majestatem Imperii realem completitur, &  
quæ tolli non potest, nisi ut una Imperium concidat: Et hæc  
ad Auream Bullam accommodant. Præterquam enim quod  
majestatis realis & personalis tales traduntur explicationes,  
quæ salvis civilibus regulis stare non possunt: etiam illud  
notandum est, nullam legem talem ferri posse, aut latam es-  
se, quin eadem potestas legislatoria quæ tulit, mutare queat,  
aut abrogare, aliamve substituere. Omnes enim leges, quæ  
describunt formam Reipublicæ accidentalem, mutari aut  
abrogari possunt, salva manente republica. Ita si lata esset lex  
de republica unius Imperio administranda, & hæc proce-  
dente tempore abrogaretur, aliaque ferretur de republica  
per Optimates administranda, non interiret tamen respubli-

ca

ca, quamvis commutata hac lege. Si enim legis fundamentalis nomen ulla in re potest locum habere; fundamentalis potissimum ea dicitur, quæ descriptionem formæ reipublicæ continet. Atque hoc sensu jam Aurea Bulla, accurate loquendo, non esset prorsus & plene lex fundamentalis: non enim prorsus & plene describit formam & statum Imperii nostri. Dicatur tamen & sit *Lex fundamentalis Imperii*, quia ad fundamenta salutis publicæ, ejusque status, quem cupimus perennare, potentibus momentis pertinet; & legibus plenius fundamentalibus, i. e. Capitulationibus Imperatoriis, usque in hunc diem sacratur firmaturque, tanquam verum & fatale palladium Germanicæ Securitatis. De titulo *Possevinus* ita locutus est, ut ambiguitate sibi caveret. Potest enim *dignitas rei* vel ad sigilli aurei nobilitatem (quæ vera & historica ratio est) vel ad materiæ præstantiam referri, quod figura ἔγκωμασιν etiam ceteri interpretes extulere.

### Seligitur materia de conductu Electorum & conductoribus in Aurea Bulla.

Placet cum venia eruditij & Patriæ amantis Lectoris, per modum Annotationis, ad materiam *de Conductu & Conductoribus* aliqua consignare; & inscriptionem *Conductoris Carolini* his paginis imponere. Agitur enim de conductu, multis nominibus singulari, & à Carolo IV. Imperatore ad certam formulam descripto. Rejecerat *Gerlacus Buxtorfius* declarationem hujus loci in humeros doctissimi Competitoris sui: qui tamen in egregia dissertatione *de securitate & salvo conductu*, quo minus ad singularia hujus Constitutionis Carolinæ progrederetur, itidem fuit præpeditus. Neque sane, ut exauriamus arduum hoc & non unis tricis implicitum argumentum, expectari debet. Annotationem enim, ex historia, & moribus patriis, & philosophia civili, non commentarium profitemur. Interea in comitatu Con-

## CONDUCTOR

*ductoris Carolini* incedere, & suo quodam ministerio occu-  
pari, res plena favoris vel est, velesse debet.

*Legislator quis fuerit, requiritur.*

Ut tota Aurea Bulla, Carolina constitutio dicitur, ita  
hæc pars de Conductu & Conductoribus Electorum, ad  
hunc refertur auctorem. Latæ autem sunt hæc leges in Co-  
mitiis, sive (ut ipsis Imperatoris verbis utamur) in solenni cu-  
ria Imperatoris Noribergensi, assidentibus Imperatori omnibus  
Principibus Electoribus Ecclesiasticis & secularibus, & aliorum  
Principum, Comitum, Baronum & Procerum, Nobilium & Civita-  
tum multitudine numerosa : Imperatore in solio Majestatis Ca-  
fareæ residente, Imperialibus insulis, insigniis, & diademe coro-  
nato, matura deliberatione prævia, de Imperialis potestatis plenitu-  
dine. Quo tam splendido apparatu, mos & ratio legislationis  
Comitialis in S. R. Imperio usitatæ, graviter designatur &  
repetitur. Videntur quidem non accurate agere, qui Comi-  
tiorum Germanicorum consuetudinem, inde à Carolo M.  
temporibus usque ad nostra, pari modulo metiuntur. Quan-  
ta enim facta sit in Republica mutatio, nec semel, cum non  
finat nos ignorare historia; satis intelligitur etiam, non omni  
tempore eodem modo ordines & membra Imperii ad leges  
condendas se adhibuisse. Et utile omnino fuerit momenta  
administrationis nomotheticæ distinctius eruere & propo-  
nere, usque ad illam Comitiorum formam, quæ non tan-  
tum more, sed jure publico est definita. Quod in hoc trans-  
cursu, & hoc loco fieri non posse, satis appareat. Germani-  
carum interim seu Imperialium legum proprium est hoc  
*ἀξιωμα*, quod à Cæsare & Ordinibus, in quorum præsentia  
& adjunctione, Imperatoriæ potestatis vis & decus amplius  
exsplendescit, in Comitiis teruntur. Neque quicquam  
habet Orbis terrarum, quod nostrorum Comitiorum ma-  
jestatem adæquet. In his Imperialis plenitudo potestatis, ut  
Ca-

## CAROLINUS.

7

Carolina constitutio saepius loquitur, excelfissime viget. Neque probare eos possumus, qui hanc loquendi formulam ita accipiunt, ut de omnibus aliis Principibus accipi solet; nam stylus curiae suam interpretationem capit ex forma & constitutione reipublicæ, quo fit, ut eodem modo, sensu, ad suam cujusque hypothesin, non eodem, diversæ Respublicæ loquantur. Multo minus terendum est, quod dicitur: nihil aliud hoc genere dictionis notari, quam cum dicitur, *Princeps hoc egit ex certa scientia*. Utitur quidem & hac formula Constitutio Carolina (cap. 9. §. 1.) sed non *ex plenitudo potestatis*. Quin enim potestatis legislatoriæ significatrix sit hæc formula, dubio carere arbitramur. Sed à primo suo ortu (in hoc ipsum, quo A. B. condita est, forsitan sæculum competente) an semper uno eodemque modo explicata sit & explicetur usque ad hæc tempora, quæri posse, apparet. Neque sane novum est, retineri formulas, alio rerum habitu ortas, si qua commode explicandi ratio subest. Sensus autem diversos ita quis facile repererit: vel enim significat plenitudo potestatis, jus vere regium; cum unus proprio jure, suopte auspicio, legem fert: vel, ubi unus suo simul & aliorum jure, ex more & formula status, idem facit: vel ubi unus jure regio quidem, sed solennibus curiae adhibitis exerceri solito, constitutiones sancit; nam illum modum, qui nihil aliud, quam certam scientiam præ fert, jam exclusimus. *Scientia* enim errorem in decernendo abfuisse; *plenitudo illa*, "nihil facultatis decernere, volenti defuisse, ostendit. A quibus legum non modice pendet auctoritas: si nec per sub & obreptionem suggestæ, nec ultra limites potestatis legislatoriæ proditæ sint. Expressum utrumque plenius in Caroli IV. confirmatione de Electione R. Boh. apud Goldastum tom. I. p. 342. ann. 1348. ex certa scientia de nostra Romana Regia plenitudine potestatis.

Illud



## CONDUCTOR

Illud autem notabile est, qvod in solennibus quidem Comitiis lata est Lex Carolina Aureæ Bullæ, assidentibus omnibus Ordinibus: non autem per omnia ab omnibus Ordinibus vel consultata, vel decreta. Exempla sunt insignia Cap. 3. §. 2. ubi Imperator dicit: se habita deliberatione cum omnibus Principibus Electoribus, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, & de ipsorum consilio decernere, & de Imperatoria potestate plenitudine hac edicta lege perpetuo valitura sancire &c. Cap. 12. §. 2. cum dixisset, Curiam Noribergæ celebratam, cum Electoribus & multis aliis Principibus & Proceribus, de solis Electoribus addit: habitacum iisdem Principibus Electoribus deliberatione, & de eorum consilio, pro bono & salute communi cum dictis Principibus Electoribus tam Ecclesiasticis quam Secularibus duximus ordinandum &c. Ita enim plenius habet Editio Goldasti & MSC. noster Codex. Ad quem locum Limnæus p. 385. etiam ita annotat: quanquam hæc indicta curia solenni, in qua cum Electoribus multi alii Principes & Proceres presentes fuerunt, constituta sint, non tamen cum illis omnibus, sed cum Electoribus tantum deliberata & constituta comprehenduntur. Consensu Statuum tunc Bullam promulgatam fuisse, extra dubium versatur: omnia autem ejus contenta à cunctis Statibus deliberata fuisse, ipsius Bullæ testimonia negant. Ita Ludovici Bavari Diplomate quodam 1342. legitur: sicut hoc jus cum consilio Electorum ad bonum commune, statuimus & ordinavimus.

*Species hujus Conductus singularis  
designatur.*

Conductus (utendum enim est voce Legis, de qua agitur) securitatem meandi & commeandi notare solet. Qui vel debetur ex jure naturæ, vel ex jure gentium, vel ex jure civili. Ex jure naturæ debetur hæc securitas omnibus iis,

iiis, quibus commercium seu communicatio aperte & tacite concessa est; an vero solenni comitatu armatoque, aut vi-gore morum & disciplinâ reipublicæ citra apparatus tute-larem præstetur, haec tenus nihil interest. Jus gentium his iisdem vestigiis incedens, consuetudines inter populos perit, non sine discrimine & gradu, sicut exempli causa in securitate legatis, fœderatis, sociis, hospitibus præstandâ, apparet. Jure Germanico publico conductus legalis non unius generis, per constitutiones Imperii & usu atque observantiâ, describitur, & Solennibus certis informatur: desumtis ex ipso naturæ & gentium jure, atque adeo ex æquo & bono, rationibus, & ad tempora statumque Re-publicæ accommodatis. Atque hic duplex occurrit con-sideratio. Spectatur enim conductus vel ex necessitate officii, vel ex facultate privilegii ac prærogativæ. Necessitas officii illuc spectat, ut civium quilibet eos, qui Re-publicæ summa negotia tractant, ejusque rei causa meant com-meantque, adjutos, defensoresque, quantum potest, velit. Sicuti & in arctiore fœdere, socii fœderis ad eadem officia obligari censentur. Electores autem Principes, in apice rerum constitutos, & ad providendum, ne quid respubli-ca detrimenti capiat, lege publica instructos, in maximo omnium & ad summam reipublicæ pertinente negotio ver-sari, quando Imperatorem eligunt, nemo ignorat. Sua igitur quemque Imperii civem pietas, ad conferendam opem, qua securitati tantarum & rerum & personarum prospicitur, in itu, in reditu, in loco negotiationis, in necessitatibus & ap-paratu & subsidiis actionis, ultro solicitat. Hujus debiti ex-auctor est, Conductor Carolinus, seu Constitutio Aur. Bullæ: eo severius, quo major est negotiorum necessitas. Reform. Frid. 3. m. 1442. §. 8. Unde & ad conventus publicos, curias, co-

B

mitia

mitia, euntium munitior esse solet securitas, & conductus solennior. Quemadmodum autem præcipue necessitatem officii Imperio debiti, in conductu Carolino spectari, vel horribilis sanctio, argumento est ; cum privilegia, honores, prærogativæ, jura, non soleant ita sanciri, ut non utendo iis tam atroces pœnæ incurvantur : ita per consequentiam in designato ordine & executione conductus, respectus est juris vel mediate vel immediate conducendi per suum territorium & loca suæ ditionis. Ne scilicet inter conductores, occasione officii tam necessarii, lites suboriri possent, fieri voluit Legislator hunc conductum, sicut alia, ad omnes quidem Imperii Cives Statusque pertinentia negotia , sed modo & ordine , qui Imperii contextum , ex consuetudine & Lege publica decet juvatque , exequenda. Exemplum peti potest ex constitutionibus Pacis publicæ, quibus haec tenus Conductus Carolinus comparari potest, ad eam enim tuendam vocantur ex necessitate officii Imperio debiti, omnes , non tantum Immediatorum Statuum honore gaudentes, sed etiam quibus Mediati obsequii gloria relicta est : secundum necessitudinem tam & respectum juris & gradus cuique competentis, auxiliis terendi consuetudo describitur. Qua de re amplius mox cendum, & simul de argumento immedietatis , quam vocant , ex conductorum denominatione peti solito, aliquid monendum erit.

Ceterum in hoc conductu Carolino non securitas tantum præstanta spectatur , sed etiam rerum necessariarum facultas & parabilis copia exigitur, sine qua, ne obtineri quidem finis legislatoris posset, qui vult hoc iter Electorum sine omni impedimento, aut difficultate, in expedito constituere.

Quantum autem discrepet singularis hic conductus,

ab

ab aliis conductibus, per singula membra hujus annotationis, in sequentibus ad extremum patefiet.

### *Conductores qui & quomodo describantur.*

*Conductores, ad exemplum accuratæ legislationis, describuntur 1. ex statu & conditione sua, 2. ex situ & loco. 3. ex nominibus, 4. ex habitu animorum.*

In primo genere, omnes, qui membra & cives Imperii Germanici haberi solent & possunt, ponuntur : *Electores, Coëlectorum suorum Conductores, Principes, Imperii Vasalli, Comites, Barones, Milites, Clientes, Nobiles, Ignobiles, cives, & communitates castrorum, civitatum, & locorum sacri Imperii universæ.*

Hic ante omnia dubitatur, an de Immediatis tantum Statibus sermo sit, quibus scilicet territoria & jus conducendi tribui videtur? Quod quidem negandum esse, ostendit res ipsa, ut supra cœpimus dicere. Necessitas enim conducendi, ad omnes pertinens, qui membra Imperii vel mediate vel immediate, ut solemus loqui, habentur; non autem honor & jus conductus, præcipue hic spectatur. Quare & Civitatum Mediarum diserta habetur mentio. §. 12. primo inter Conductores Electoris Trevirensis nominatur Archiepiscopus Elector Moguntinensis, deinde ex civitatibus subjicitur *Civitas Moguntinensis*. Ita §. 14. inter conductores Electoris Saxoniae nominatur *Civitas Erfordia*: quæ, quo minus inter Medias Civitates haberetur, nec in Camera Spirensi, nec apud alios efficere potuit auctoritas hujus loci in A. B. Satis enim appareat, designationem Conducentium fieri, magis ex ratione itineris & loci, quam ex statu & conditione Mediarum vel immediatae subjectionis. Quando enim dicunt, jus conducendi esse argumentum

Superioritatis territorialis, sive cohærere juri Superioritatis & territorii, exceptiones quidem in obvio sunt, quoad eos, qui jus conducendi in alieno territorio, vel vi servitutis jurisdictionalis, vel pacto, habere possunt: neque tamen de cetero statim ex conditione Mediati status, vel Immediatum migrant, qui conducere jubentur. Ita dici posset, si jus potius, quam onus & necessitatem conducendi velit quis urgere: civitates mediatis vocari ad conducendum non jure proprio, sed jure sui Principis: ut executio tantum ex ordine & consequentia loci, juxta consuetudinem, significari intelligatur. Ad omnes, qui membra sunt Imperii vel mediate vel immediate, onus & necessitatem conducendi pertinere, quod jam dictum est, tota constitutio de conductu declarat, & illa verba §. 3. de *Vicinalibus vendendis ac sufficiendis, dubitar non sinunt*: quippe cum & civitates communatesque omnes & earum cives ac membra obligentur; sitque ea hujus muneris obeundi natura, ut ad immediatos restringi se nullo modo patiatur.

*Vocantur ergo, quod ad statum & conditionem conducentium attinet, omnes sine exceptione, quorumcunque operam *Locus & situs* (hæc enim secunda descriptio est) Electoriis ad Electionem itineribus tutandis necessariam & commodam facit.* Quod quidem verbis legis adeo est explanatum expressumque, ut dubitandum non sit, quin omnes, quicunque ab Electore super priorem numerum constituto aut constituendo appellarentur ex locorum pertinentium conditione, obligentur conductum Carolinum præstare, pari necessitate ac illi, qui nominatim exprimuntur. Ratio enim legis, ex necessitate officii Electoribus ad Electionem proficiscentibus præstandi, nullas exceptiones patitur. Illud deliberationis est, an quotiens in statu Statuum aliquid mutatur, etiam lege publica id significandum

de-

decernendumque sit : præter mutationem ipsam scilicet, ejusque formam. Rei ipsius necessitas non potest allegari, sicut diximus, superest consili i voluntas, si quis existimare velit, conformari ad eundem habitum legalem (si licere potest nobis ita loqui) debere, quæ sunt ejusdem ordinis gradusque. Verum ubi juri Statutum spectanti prospectum est, expectatio specialium & solennium indifferens haberi, nisi peculiaris causa obstat, potest.

Laudari interim jure optimo meretur Imperatoris diligentia, qui (ut tertio loco posuimus) non describit tantum conductores, sed nominat : cum repetitione obligationis generalis, à qua *ad singulares conductus & conductores, pro regionum & locorum adjacentia cilibet magis aptos designandos, proceditur.* Unde satis constare potest, si qua mutatio rerum & locorum fieret, Electoribus liberum esse, magis aptos conductores eligere. Caussa enim hujus conductus perpetua est, & ad omnia tempora hominesque, ut ante dictum, pertinet.

Putamus autem in hac nominum illustrium recensione, multum latere, de notitia Imperii, ejus præsertim temporis. Sed, pro ratione instituti, licebit nobis ex multis pauca decerpere.

Primo igitur, nollemus quærere, cur Electorum, ut Electorum, in hac enumeratione non fiat mentio. Lex enim secum ipsa conferri, & ex seipsa explicari debet. Quod cum fiet, apparebit, ab initio constitutionis valide & signanter in hoc conductu Electorio obligari *Electores, ad conductendos Coelectores suos.* Conductor Carolinus Electores couducit, non modo, ut civis & pars Imperii est, sed vel maxime ut Elector est. Electorum enim concordiae frustra caveretur, si à Coelectoribus quicquam conductui adversum oriri posset.

Quod ad ordinem attinet, Bohæmiæ Regem primo loco nominari, videmus, nec putaremus causam à singulare & notissimâ de cetero, erga Bohemos benevolentia, repeti debere, sed temporis & personæ, hunc ordinem non fuisse modo, sed esse debuisse Imperator ipse fuit Rex Bohemiæ, quæ causâ stilo curiæ pro omni ratione sufficere potuit.

*Inter conductores Archiepiscoporum. Coloniensis & Trevirensis, appellatur etiam de Limpurg (§. II. & 12.) qui infra (cap. 27. §. 6.) Vicepincerna de Limpurg, exprimitur, ubi non possis probare interpretes, qui de suo addunt vocabulum *Baronis*, quod in textu non dicitur. Imo in hac de conductu materia, quin appellatio *Comitis* huc quoque pertineat, nulla dubitandi ratio reliqua est, nisi velis omnes sanæ interpretationis regulas subvertere. Ergo, quando hæc enumeratio singulorum conductorum confertur cum illa generatim facta, non rectè dicitur : fieri hic tantum mentionem *Principum, Comitum, Baronum, Civitatum.* Dicendum potius videtur, nullam fieri hic Baronum mentionem. Enumerantur *Comites de Isenburg, de Westerburg, de Runckel, de Limpurg & Falckenstein*: ubi nulla apparet ratio, cur Limpurgium, Comitibus præcedentibus & insequentibus, sine mutatione prædicati, lex inseruisset, nisi pro Comite habuisset. Neque inter auctoritatem legis, & interpretum, dubitatio longa est. Ab officio designabatur Illusterrima hæc familia plerumque (sicut in ipsa A. B. bis factum est) sine elogio dignitatis generalis. Bis tamen & in hac constitutione exprimitur dignitas generalis Comitum, & in aliis monumentis publicis authenticis. At, qui secure multa describunt in jure publico, ut suas sententias paribus fulciant auctoritatibus, postulandum est. Si enim quis velit forte dicere ; *In Catalogo membrorum Imperii ampliore, inter quatuor Barones referri*; jampridem viri usu rerum periti demon-*

monstrarunt, nullam esse ejus catalogi *av. 9 ev. Kar.*, ne dicam, illas arithmeticas appellations, ad conditionem & qualitatem Status, appellationibus talibus alias notari soliti, non referri stricte & accurate, sed alias comparandi rationes spectare. Videntur autem interpretes suæ opinionis & appellationis, quantum ad *Baronem*, inde occasionem arripuisse, quod Pincernis de Limpurg, elogium *Semperfrey* tribui sciebant, id cum Baronis vocabulo converti crediderunt. At non ita argumentari non posse, vel illud indicio est: quod Comites Westerburgenses, quos nunc Lainingenses repræsentant, etiam *Semperfrey*, sive des H. Reichs *Semperfrey* dicuntur: non certe ex respectu Baronatus cuiusdam, sed altiore auspicio. Non est scilicet novum, titulum à principio excellentiore modo significatuque destinari alicui: qui postea in plures, nec eodem modo pro diversitate temporum vulgatur.

Dum de elogio *Semperfrey* loquimur, liceat nobis, cum bona æqui lectoris pace, ponere conjecturam, de titulo *Waltheri de Sepf.* Hunc enim Pincernam Imperii anno 1213, fuisse, *Goldastus Statutis*; & ex eo *Limneus* (ad cap. 27. §. 6. A. B. observatione II.) refert. Atqui nulla noscitur hujus nominis familia. Putem ergo, scriptum fuisse: *Schenck Walther Semperfrey*; sive per compendium scribendi, *Sepf.* Judicet quisque quod volet.

Ipsa vox *Semperfrey*, sicut in hunc diem non satis explicata & documentis historicis illustrata est, ita etiam *Baronum* quoque appellatio, non in omnibus momentis ad liquidum perducta est. *Barones* aliquando splendide usurabantur, ut *Comites* sub se comprehenderent. Illustre est diploma Principum Imperii Electioni Ottonis IV. Imperatoris faventium, apud *Goldastum com. un. p. 287.* anno 1200. in cuius principio, & medio, in summam, ponuntur, *Principes*

cipes & Barones Alemanniae, qui elegerunt, & electioni consenserunt; & Principes ac Barones, à tam rationabili electione discordes. Et in subscriptione, Henricus Comes de Kuke nominatim exprimitur. Sed tempore Aureæ B. scriptæ distinctis jam gradibus Barones intra Comites noscebantur, sicut ex tota constitutione clarissimum est. Disparitatem tamen postea aliquam mansisse inter Barones, ratione Familiarum & Officiorum & publicæ præcedentiæ, plerique omnes annotant; in eo tamen non satis caute agunt, quod Baronum nomen inculcant, ubi authentica monumenta id non habent, sed vel Domini, vel Officii nomine; vel, ut supra dictum est, elogio Semperfrey utuntur. Ita cum Paurmeisterus de juris dict. lib. 2. c. 1. in recensione Statuum, in Comitum seriem refert, Reussen/ ex vulgari potius errore, quam ex authenticis documentis, addit Barones. Domini enim nomen, quod authenticum est, non statim in Baronem verti potest. Ex Paurmeistero, jam Rein-  
kingius l. 1. class. 4. c. 15. n. 55. hanc annotationem format: Qui-  
dam ex Baronibus, quales sunt Limburgici, Waldburgici & Russi,  
quibusdam præferuntur Comitibus, ut videre est apud Paur-  
meisterum. Quamquam quoad Limburgicos cautius ege-  
rat Paurmeisterus, ita expresso nomine: Limburg Semper-  
freyen, absque Baronum vocabulo, quod aliis addidit, nisi  
quod elogium illud cum Barone ḡn παραγόντες dici, vulgo  
creditum est. Limneus autem addit. ad lib. 4. c. 5. p. 417. in-  
ter utrumque vult quodammodo incedere, In specie autem,  
inquiens, quod Limburgenses attinet, responderi etiam potest,  
illos facilius Comitum titulo ornari, vel sub eo comprehendendi pos-  
se, cum non sint simplices Barones, sed Semperliberi, nec non  
Officiales Imperii, Erbschendchen/ atque à nonnullis, eos quibus-  
dam Comitibus præferri, annotatum fuerit. De Baronum vo-  
ce sumtam, non demonstratam opinionem diximus. Et  
Of.

## CAROLINUS.

17

Officia illa Imperii hæreditaria, sicut illustrissimam & quodam modo incomparabilem prærogativam merentur; ita Baronis nomen, si in Familia hæreret, aut hærere authenticis monumentis probaretur, per se non extinguerentur. Hæc in loco & occasione non præterire volumus: parati, alia temporis & scriptio[n]is opportunitate ostendere, quām sint multa, quæ apud Scriptores Juris publici, & Genealogicos, ex vulgi potius opinione, quām ex authenticis ad fidem faciendam monumentis petuntur.

Dum *Electores, Conductores, nominantur*; non additur Titulus munera Elektoriae cujusque dignitati connexi: sed quando *Electores conducendi describuntur*, apponuntur *elogia Archicancellariorum, Archipincernæ, Archidapiferi, Archimareschalli, Archicamerarii*. De conducendis enim Eleitoribus, ad illud munus obeundum, quod imperii totius salutem capitaliter spectat, præcipue laborat constitutio: ut conductores ipsi quoque alter alterius sint, ex consequentia & successu negotii statuitur. Ibi monstrantur: hic jubentur. Ibi in excellentia suæ dignationis & munera incedunt: hic in pari cum ceteris conductoribus officio, falso de cetero perpetuis prærogativis, collocantur.

Describuntur amplius Conductores, ab affectione animi; id enim *quarto loco posuimus*, si forte discordent vel *Electores conductores ab aliquo Electore conducendo*, vel ceteri Principes. Respexit legislator ad mala priorum temporum, quæ ex propinquo in oculis erant: cum Germania dissidiis Ordinum & privatorum undique inquietatur & turbaretur. Et satendum est, dissidendi non consuetudinem modo sed licentiam, in Germania istis temporibus tuisse justo familiariorem, sicut ex cap. XVII. A. B. licet animadvertere. Cum autem fas sit, privata odia, publicis utilitatibus remittere; ad hanc autem patriæ debitam

C

bitam

## CONDUCTOR

18

bitam quidem voluntatem, non omnes sponte inclinari possint; necessitas legis, & severitas sanctionis, adjungenda fuit, ne quid de utilitate publica, omnium maxima, deperiret. Facit huc aliquo modo, §. 4.

### *Conductoris Carolini officium conducendis debitum.*

Id continetur, uno verbo, *conductu*, & quidem, *absque dolo, & contradictione* præstando. Si per singularia nomina evolvendum est hoc officium; Lex ipsa in duobus ponit: *non lēdere; & securitatem præstare.*

*Læsio* consistit in his, si 1. *hostiles custodiæ tantur, seu insidiæ parentur, quæ videantur ἐν παρεγγέλλειν* dici: nisi quis velit habere veriorem expositionem, ut *hostiles custodiæ referantur ad vim apertam; insidiæ ad vim occultam.* In Germanico textu: *Wer eym Kurfürsten syntliche Hude vermacht / oder sich vermissset Lage zu legen. Hostiles custodiæ tendi, hoc loco videntur, si armata manus iter facientibus se objiciat, eosque, ut hostes repellat, progressuque prohibeat. Insidias tum eas intellexeris, quæ grassandi prædandique animo, tum quæ vindicandi & inimicitias exequendi proposito fiunt. Begelagerung/ und Verwaltung.* utraque enim res securitati adversatur: quæ quo sanctius in *conductu* Carolo munitur ac describitur, eo majorem facit talis criminis atrocitatem. 2. si *invadantur Electores aut eorum Legati in personis aut rebus.* Germanicus textus ita explicat, ut *invasio in personis, ad honorem, famam, existimationem; in rebus, ad corpus & bona referatur: oder sye oder etliche mee under hine an sin Ere oder siner Lude Lip oder Gut anegriffet.* Ita in Goldasti Statutis. Ut *Recessibus Imperii præfigitur, totus textus* 9 *habet: feindlich erwarten/oder was thätlichs wider sie/ihrer einen oder mehr/fürzunehmen/ihr Person oder Güter an-*

311-



zugreissen. Quæ quidem verba, hostiles custodias & insidias, ut  
*ἐπεξηγήσας* conjunctas interpretantur, sed vetustior textus  
 Germanicus, ut Latino propior in his, ita ad pleniores secu-  
 ritatis descriptionem aptior videtur. Quod autem *invasio-*  
*nem in personis & rebus* attinet, novissimus textus Germani-  
 cus, Latinum *narrat modo* sequitur: vetustior autem non alienam  
 honoris & fame mentionem habet. Illud dubitatione di-  
 gnius est, quod *invasio in corpore & bonis* ad legatos tantum E-  
 lectorum, non ipsos Electores refertur; ad pleniores enim  
 sensum exprimendum ficeret, si verba ita concepta essent,  
 an sin oder finer Lude Ere Lip oder Gut anegrißen. 3. si  
 conducendi turbentur. Germanice, anbetriben/sive beleydi-  
 gen/utraque versio reddidit. Quibus vocabulis, omnis of-  
 fensio & læsio notatur, valido in supplementum significatu,  
 cum, post unam & alteram speciem, quicquid impedimenti,  
 injuriæ offensarum non enumeratur, universim intelligen-  
 dum datur.

Sicut hæc plenissimè accipi debent, ita etiam *Securitatis*  
*præstatio* omnibus numeris absoluta & quanta in Condueto-  
 ris vires & industriam convenire potest, sancitur. Securitas  
 præstari potest commantibus; vel disciplina reipublicæ,  
 vel auctoritate imperantis, administrantisve, vel armis, seu  
 armata tutela.

*Disciplina reipublicæ securitas conficitur, ubi vel sensus*  
*vel sermo ille vere obtinet: Per limites met Imperii aut admi-*  
*nistrationis, nemini iter facienti periculum est; didicerunt mei,*  
*vi abstinere, pacem publicam revereri.*

Intervenit autem Imperantis administrantisve *auctorita-*  
*tas*, cum minister publicus, e. g. buccinator, aut aliis, condu-  
 cendo additur; non qui vim propulsare manu, sed conspectu  
 & significatione auctoritatis ac potestatis Heri sui, paratus  
 instructusque sit. Idem de *Literis*, Ejus, qui Securitatem

præstare vult, nomen aut sigillum aut utrumque præferentibus, sentire ac dicere fas est. Quo & alia symbola, cippos, pilas, picturas, eodem significatu prostare solita, retuleris.

At armati conductus, inter gentes usus est, vel ubi probabilius non defunt, qui ab injuria commeantum, nisi vim metuant, temperare vix solent; quod pro ingenio nationum locorumque facile dijudicatur: vel, ubi ex magnitudine negotii, certioris præsidii causa, sive ad maiorem securitatem, quasi ex abundantia, aut honoris etiam causâ, armati conductores adjunguntur.

*Conductor Carolinus*, qui *conducit Electores* sive *conductum præstat Electoribus* ad *Electionem* tendentibus, ut constitutio hæc postulat, armatus est. Ne enim sine armis hoc officium obiretur, pericula priorum temporum, oppositæ hostiles custodiæ, structæ insidiæ, monuerant. Venit in partem consilii, proclivis ad dissidendum circa tale negotium, & in transitu rerum, aut ubi Princeps non sumitur, sed quæritur, occasio. Tum, quia non ornamenti tantum, sed & præsidii causa, ipsis Electoribus armatus comitatus, non more solum, sed & lege præsto est, conductor Carolinus præsidium præsidio præstat, & vires firmitat viribus.

Modus & numerus armatorum, quibus conducendi sunt Electores, securitatis fine terminatur. Itaque pro temporum & periculorum opinione, augeri debet. Quod facile est factu Conductoribus, cum quibus nemo est, quin sociare operam teneatur. Adeo quidem, ut, si nominatim conductoris alicujus vires aliquo casu non sufficerent, ex non nominatis, ut quisque loco & opportunitate proximus est, advocari posse, & ad subsidium ferendum teneri, ipso legi hujus vigore, vix dubitatio detur.

De præbendis *Victualibus*, hujus conductus lege etiam caveri, iam ante cœpimus dicere. Cur convenit hoc officium?

cium? Non aliis potius quam conductoribus, quæ vox apud Latinos sequioris ævi etiam pro hospite, sicut conductus pro hospitio, accipitur, collegit exempla ad Sidon. Apoll. lib. 5. ep. 17. Jo. Savaro, & ex eo descriptis quædam Georg. Erhard sive potius Michaël Caspar Londorpius, ad Petronium. In verbis e- quidem Constitutionis exprimuntur omnium Civitatum Ci- vies & Communia, Bürger und Gemein/ sive Bürger und Gemeinen aller Städte. Ergo Conductor apud sui qui- dem territorii Civitates & cives hac de re prospiciet condu- cendis : in omnibus autem territoriis, idem omnes fa- cere tenebuntur, quoscunque ad conducendi operam & ministeria teneri, supra dictum est : quibuscunque no- minibus appellantur. Et sunt sane in ipsius Legis ante- rioribus articulis posita nomina, quæ neminem excludi patientur. Quanquam autem Cives & Communia Civitatum multa suo complexu continere intelligantur , si quistamen speciali & solito fere significatu malit accipere, ratio mani- festa est ex eo, quod in tali itinere , opportunitates Civita- tum in primis quæri, moris & consilii sit. Neque minus tamen obligationis universalitas manet, si extra ordinem in pagis aut vicis , aut quibuscunque locis hospitium desidera- tur. Sicut enim electio locorum conducendis libera relin- quitur, ita hospitale officium ad eum modum, non adstrin- gi sed extendi censetur.

*Quid autem debent præstare ex hoc officio?* Victua- lia nominantur. Qua voce, non minus ac alterâ magis La- tinâ, *Victus*, significantur non tantum, quæ ad cibum po- tumque & vestimenta, sed etiam, quæ ad stramenta, habi- tationem, ministeria, medicamenta, curam denique cul- tumque hominum & jumentorum pertinent. Id quod ad- jectâ hîc necessitatum voce amplius declaratur. *Kost und Liefferung/nach aller ihrer Nothdurfft.*

## CONDUCTOR

*In quantum & quomodo tenentur præstare? Vendendo & vendifaciendo, inquit Bulla & quidem in communi pretio atque cursu. Illud vendifacere, etiam complectitur illam magistratus & Principis auctoritatem, quâ de singulis cogi possunt nonnulli, ut res aliquas, necessitatibus scilicet Electorum & Electoralium Nuntiorum explendis, & vendant, & communi pretio vendant: quas alioquin in alia tempora & pretia reservatur erant. Imo hæc necessitas vendendi, ab ipsa Lege omnibus videtur imponi, in quantum opus est: executio autem rei iis demandari, quibus jubendi & administrandi jus est. Pretium commune, addito vocabulo *cursus*, nach gemeinem Lauff und Verde/in gemeinem Raufgeld/ita accipi debet, ut non illud pretium modo intelligatur, quod *currentis* appellatur, & *taxatio pretio* opponitur: sed etiam *taxatum lege pretium* includatur, quod non definit esse commune, quia à lege taxationem accepit: cum legislator in dubio credatur communem peritorum æstimationem sequi, & plerumque in favorem ementium pretium definire. Si tamen constet, ex certa causa, & quasi extra ordinem, taxationem commodo vendentium factam; dubitationem vix habet, quin hæc constitutio, ad favorem emtoris reduci hoc negotium velit.*

Ultro autem intelligitur, etiamsi non moneatur, etiam de publicis cellis, penuariis, horreis, erogari victualia æ quo pretio debere, si privatorum hospitiorum commoditas aut copia, pro conditione locorum & temporum, necessitatibus commeantium ægre sufficiat.

Et quoniam Legislator, vendentium victualia aut proenrantium, damnum non desiderat, iniqua tantum lucra & morositatem arcere contentus; aucta subito & inevitabiliter aliquo casu rerum pretia, pro currentibus & communibus haberi non desinunt, quatenus minoris res vendi citra damnum

mnum venditoris nequit. Si autem ex vicinia leviore pre-  
tio possint res necessariae in locum transitus aut hospitii  
comportari, duplex videtur quæstio oriri: primo, an is, qui  
de Virtualibus requisitus est, debeat pati, ut vicini forum  
tunc liberalius instruant, suasque merces minore pretio di-  
strahant, quam cives & communitates talium locorum, suas  
possent vendere? deinde, an ipse requisitus vel requisiti de-  
beant aliunde, si id facile fieri potest, ultro advocare aut con-  
gregare, melius, quam de suis, emenda? Ad utramque hu-  
manitatem & diligentiam hospitalem, si citra præjudicium  
cujusque Civitatis privilegiorum expediri potest, Bullam  
invitare, non etiam cogere, forte dixeris. Quod autem, si  
id omittatur, *fraudem*, in omni hoc negotio exclusam, con-  
ductores videantur commisissi, nemo sustinuerit opinari  
aut dicere. Atque haec per modum paraphraseos cujusdam,  
de officio Conductoris Carolini, annotata esse, appetat.

Virtualia præbenda esse & quo pretio, etiam, cum ante  
susceptum iter non petuntur nominatim, non est dubitan-  
dum. Quia enim Conductoris officium Bulla vult esse ple-  
nissimum, tum securitatis, tum necessariarum copiarum ra-  
tione, ipsa analogia hic supplet, quod §. 4. de securitate etiam  
non potentibus præstanda dictum erat. Neque enim vel hic, vel  
ibi, rō si petierint, exclusionis, sed distinctionis notam habet.  
Versaturque manifestum discriminatio in eo, quod potentibus,  
securitas solenni illo & apparato conductu; non potentibus,  
securitas tamen sufficiens præstanda est. Videturq; Legis-  
lator confilio Conducendorum aliquid hic reliquisse: qui-  
bus scilicet tempora & loca ignota non sunt. Quo fieri po-  
test, ut conductores de speciali illo ac solenni conductu in-  
terdum sibi appellandos, interdum non appellandos exi-  
stiment. Sicuti etiam verisimile non est, omissum iri pe-  
titionem virtualium, si dubitetur, an omnia necessaria ex  
tem-

tempore præsto esse possint. Ubi nulla dubitatio; potest evenire ut ista petitione non opus esse videatur. Atque ita acciperem diversitatem in literis requisiti conductus, Matthiæ 1612, & Augustissimi Leopoldi 1657. tunc Bohemiæ Regum, annotatam *Limnae ad A. B. §. 7. observ. 10.*

Exigit etiam Legislator à Conductore cautionem scriptura consignatam, & jurejurando firmatam, §. 7. Non quod semper ita opus sit, sed quod possit ita exigi. Sicut in securitate ipsius conductus præstandâ, liberum est petere conductum, ita, sicuti dictum est, præstandum, vel non petere. Petentibus salva Legis auctoritate, denegari scriptura & jurandum non potest. Non petentibus debetur tamen conductus officium, ac si cautione juratoria signatum esset. Sed, quoniam eo tempore sollennium maxima cura fuit, scriptura autem nihil certius, jurejurando nihil sanctius inter mortales habetur, adversus inimicitias, etiam ab amicis tali exigimus & ratio fuit. Ad firmitatem scilicet & certitudinem ampliorem, & efficacem obligationem. Lex sane omnes obligat, & quidem efficaciter: sed in reciprocâ significacione obligationis, sive testatâ debiti, obsequique obligatione, efficacia manifestius se ingerit oculis animisque, quæ origo celebrationis formulæ in actu civili habetur.

In eo movet *Limnaeus* dubium, an Electores æque ac ceteri Principes & Status, ad cautionem juratoriam teneantur, eo, quod usus est exemplari minus perfecto: quale in Statutis Goldasti etiam exhibetur *Latinum* ex Archivo Palatino: ubi Electores omittuntur. At *Germanicum*, in eodem volume, tum in *Recessibus*, & *Latinum* in *Constitutionibus* com. un. p. 153. & Msc. nostro, Electores nequaquam omittit. Notaque sunt non Electorum minus, cum Coelectoribus, quam aliorum Statuum cum Electoribus dissidia: quibus hic obviam itur.

De

*De conducendis disquiritur.*

Conductor Carolinus conductus Electores, & Eorum Nuntios, neque quavis occasione, sed ad Electionem proficisciентes: cum hominibus eorum, ut Bulla loquitur, sive cum vasis comitibusque, ut vetustior formula habet.

Conducuntur, inquam, tanquam Electores, & Electorales Nuntii seu Legati, non ut quovis tempore & itinere securitas ipsis debetur, sed ut Electionis peragendae causa commeantibus Carolini Conductoris offici securitas praestanda est.

Conducuntur, non ut Electores modo, sed etiam ut Coelectores.

Conducuntur, non concordes modo Conductoribus, sed de cetero discordes. Conductus enim Carolinus omnium contentionum vel finem vel inducias habet.

Conducuntur Legati Electorum, si constat, eos ea, quæ dictum est, causa legari; nam, an instrumentum procuratorum habeant sufficiens ad agendum, quod Electio postulat, sive quod ipsos, qui ad Electionem admittantur, idoneos faciat, non conductoris extra locum Electionis, sed Collegii Electoralis, in loco Electionis inspectio est.

Huc igitur forte retuleris, quæ nonnulli de *Jure gentium*, legatis securitatem praestante, ad conductum Carolinum annotant. Quamquam Conductor Carolinus, ultra jus gentium, propria juris formula Legatos Electorales tuetur. Ipsos autem Electores, *Legatos Imperii* cum dicunt, commoda interpretatione opus est. Elogia enim quibus iu A.B. ornantur, facile obscurant *Legatorum* appellationem. Etiam si velis Legatos Imperii dicere, qui cunque Imperii negotium gerunt: communem facies aliis titulum in negotio non communi. Electio enim convenit solis Electoribus, jure tum sui status, tum collegii

D

legii

## CONDUCTOR

legii, perpetuo: nec per modum communem negotii gesti, sed longe excellentius, prærogativa eminentissima & incomparabili. In Electores crimen majestatis committitur: Electoribus, ut, supra dictum, jus videndi ne quid Imperium detrimenti capiat, non temporario antiqui & extraordinarii exempli more, sed solennem & Collegio ordinarie annexam potestate tribuit; antea usu, deinde ipsius Carolinæ constitutionis vigore: in Electoribus sunt Vicarii Imperii, vacante Imperio illo ipso tempore, quo conducuntur, eo jure fungentes. Quæ, & similia, faciunt, ut fiduciaria Legatorum auctoritas, sicut & ministerialis Magistratum potestas (quamvis eâ voce, ut minus accurate desinant uti Scriptores talium argumentorum, vix reliqua spes est) longe infra Electorias in Electione curas & jura, subsistat.

Quare etiam quam sit singularis Carolinus conductus, apparet ex consideratione Conducendorum; qui & communiter describuntur, ut vidimus; & nominatim, *Rex Bohemiae Sacri Imperii Archipincerna, Archiepiscopus Colouiensis S. Imperii per Italiam Archicancellarius, Archiepiscopus Trevirensis, S. Imperii per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarius, Comes Palatinus Rheni, S. Imperii Archidapifer, Dux Saxoniae S. Imperii Archimarschallus, Marchio Brandenburgensis S. Imperii Archicamerarius, cur non etiam Princeps & Decanustam augusti Collegii, Archiepiscopus Moguntinus. S. Imperii per Germaniam Archicancellarius?* Respondet Limnaeus: quod Moguntinus conductore nullo indigeat, quando proficiuntur Francofurtum, ad Electionem ibi perficiendam; eò enim versus semper in territorio suo progredi potest. Indigere autem potest, si Electionis actus alibi, quam Francofurticelebretur. Sed quia Carolus lege voluit hunc locum Electioni destinare, non opus fuit, ad exceptiones temporis tantum & necessitati condonandas (ut disponitur cap. 28. §. 5.) respicere. Sitamen legitimum impen-

dimen-

dimentum Electionem alium transferat in locum , Elector Moguntinus, jam communi jure Electorum, ab initio hujus legislationis signanter expresso, potest conductores sibi optare, qui ratione loci & temporis necessarii videntur. Forte & ob hoc ipsum nominati non sunt conductores , quod Carolus locum Electionis Francofurtum omnino servari cuperet ( ubi scilicet Moguntino conductores non videbantur necessarii ) neque facile, aut citra legale impedimentum mutandum esse, indicare vellet. Nam quod Hartmannus Maurus ep. Goldast. Polit. Imp. in coronatione Caroli V. Ipsum Carolum IV. mutasse hanc suam legem anno 1363. & libertatem loci statuisse refert, nec probari, nec sine probatione credi potest. Vix dubitem interea, præter causam dictam, fuisse & alias, ob quas Moguntino conductores singulares non attribuerentur , ex illius temporis & status rationibus, nobis ignoratis. Forte & reperiri aliquid possit, si meditentur, qui ingenio valent, & instructu Tabularum publicarum juvantur.

*Loca, per quæ conductus Carolinus fit, signantur.*

Conductor Carolinus tenetur conducere per terras, territoria, & loca sua, & etiam ultra, sicut longius poterit. Et: per territoria sua, & alias quanto poterit remotius. Et: ut unusquisque ad praestandum conductum, per suas duntaxat terras & territoria, ac etiam ultra quanto potest remotius, sit adstrictus, durch ihre Lände/ Gepiete und Stede/ und auch fürbaß/ so sie ferrest mogen. sonderlich durch syn Lände und Gepiethe und audi fürbaß/ so er ferst mage. Recensior versio, in fine hujus legislationis de conductu, sequentem particulam, sine dolo, huc transfert: allein durch sein Land und Gebiethe/ audi so ferr er es ungesährlich vermag zugeben.

Generalitas in exprimendis locis, respondet genera-

## CONDUCTOR

litati in assignandis conductoribus: apparet enim, ex sanctione ipsa, ut ante diximus, non tantum Immediatos vocari ad hujus conductus officium præstandum; sed etiam Mediatos per modum Pacis publicæ seu generalis: & Edicti de auxilio ferendo (eines gemeinen Friedens und Hülffgebots) quo cujusque viribus. Unde Jureconsultus non in celebris, civitati fundamentum Immediatis in conductu Carolino quærenti, quam infirmum præsidium aspiraret, cum etiam Mediati conducere hic jubeantur, ostendit: & addidit mentionem civitatum non Imperialium jus conduendi habentium.

Quod autem attinet illa verba, *etiam ultra, quanto poterit remotius, & perspicuitas & repetitio declarat, indicari motionem à proprio territorio aut loco, & sic transitum in alienum territorium.* Sed potestas juris additur: sicut poterit, salvo jure cujusque. Quia in re putamus, Legislatorem respicere, extensionem partim legis, partim voluntatis, partim necessitatis. Legalis extensio est, quando vel pacto, vel consuetudine, ius est conducendi per alienum territorium. Qualia exempla nec tum defuisse, satis aptè colligitur. *Voluntaria extensio*, ad multa pertinere potest, quæ nunc, pacatiorebus temporibus & itineribus, haud æquè attenduntur. Periculo enim imminentे, consilii & rationis fuit, vel admittendo, vel invitando adjungere sibi conductores in societatem officii, qui jam per sua loca conduxerant. Major etiam fuit species, numerosius incedentium. Potuit accedere ejus, qui conducebatur, votum aut desiderium: potuit attendi commoditas aliqua à conductoribus conducto exhibita, & amplius exhibenda; &, si quæ possunt hujus generis alia, ad rerum temporumque veras imagines accommodari. *Necessaria extensio ad præsentationem periculi metum pertinet, si conductores sequentes,*

tes, præcedentium operâ se opus habere dicant admean-dum remeandumve, & hi (præcedentes) non habue-rint exceptionem ~~et dduvatis~~, sive ejus, quod moraliter fieri nequit. Posset & ille necessitatis casus cogitari, si se-quentes conductores non fungantur officio, ut tum præ-cedentes teneri intelligantur. Cogitari, inquam, hoc pos-set; nam ex historia, tale quid inde ab A. B. conditâ acci-disse, demonstrari non potest. Ut servaretur quippe Lex, utut accuratissimæ constitutionis, sanctio & severitas pœ-narum effecit, quâ nunc dicendum est.

*Sanctio Constitutionis, & pœnarum denomi-natio consideratur.*

Sanctio in hac constitutione, & criminis acerbitate, & pœnarum severitate maxima constat. Causam tantæ severitati Necessitas temporum videtur suggestisse, Latro-cinia & grassaturæ ubique increverant; quibus in Germania & Bohemia coërcendis si singularem Carolus industriam ac disciplinam adhibuit: denique ea fundamenta jecit, quibus postea Imperatores Pacis Publicæ Leges superstruxerunt. Acceslerant & turbarum, in transitu rerum & circa Electionis negotium, exempla, & factiōnum dissidiorumq; uberrima materies. Igitur mediocribus remediis non cre-debatur sisti posse temporum licentia.

Descriptio criminis fit I. generaliter. II. per specialia, nomina, III. per colores & exaggerationes. Generaliter in istis: si qui huic nostræ constitutioni contraire præsumserint; contra præmissa facere præfumentes, contrarium facientes, qui secus fecerint, qui nostras leges & constitutiones adimplere noluerint aut eis contraire præsumserint, in his leges nostras commit-tens. Quæ generalis descriptio, & ad omissa, quæ lex fieri

## CONDUCTOR

30  
jubet, & ad commissa, quæ lex fieri vetat, ex ipsa cuiusvis  
sanctionis natura, pertinet.

Specialia nomina delicti, miscentur rationibus & co-  
loribus, ad exaggerandum pertinentibus. *Perjuri, rebelles,*  
*negligentes*, vocantur ; qui in hanc constitutionem de con-  
ductu Carolino deliquerint. Ubi vox *negligentiae*, ad rei præ-  
ceptæ omissionem, quæ dolum habet conjunctum, ἀνηλικός  
referenda est. *Rebellio* ad exaggerandum spectat. *Perju-*  
*rium* partim *interpretative*, ut loquuntur, exaudiri debet ;  
quatenus fide ordinariâ & juratâ ejus , qui Imperii mem-  
brum vel Mediatum vel Immediatum est, continetur ob-  
servantia Legum Imperialium, & præsertim hujus de con-  
ductu Carolino ; ut sine nota perjurii se opponere nemo  
queat : partim *legaliter*, quatenus hâc ipsâ constitutione,  
pro perjuro habendus & puniendus violator conductus  
Carolini decernitur. Præter hanc generalem contraven-  
tione in exprimuntur etiam nominatim delicta quædam,  
ut *custodix hostiles, insidia, denegatio literarum, quibus obligatio*  
*conductus continetur*. De quibus supradictum est.

Rationes, tanquam colores , ad intendendum crimen,  
congeruntur in illis verbis: *præsertim cum contra Rempubli-*  
*cam ac sacri statum & dignitatem Imperii ac etiam contra bo-*  
*norem proprium & salutem, tante rei temerari inelectores, tan-*  
*quam rebelles, inobedientes & perfidi, infideliter & perverse agere*  
*convincantur, um daß sie begriffen werden/däß sie wider eyn*  
*gemeyn gut offenbare/ und des heiligen Reichs Gesetze und*  
*Würdigkeit / auch wider eynen Ehre und Heil und gros*  
*Ding frevelig gehindert han/ und auch als widerspenige/*  
*ungehorsame / ungetreu also bößlich und ungetreu-*  
*lichen han gethan.* Textus Latinus haud dubie causali vo-  
culâ *cum rationem severitatis reddit: id quod recentior*,  
*Germanica versio non æquè clarè expressit: Besonder*  
so

## CAROLINUS.

31

so dieselben wider des Heiligen Reichs gemeinen Nutz/  
Stand oder Würdigkeit/ auch wider sein eigen Ehr/ als  
freventliche Versäumer und Widerspennige/dem Henyl sol-  
cher Sachen ungehorsam/ so häufig/ ungetreulich/ und wider-  
wärtiglich misshandelt/ erfunden werden. Vel hinc liceat  
animadvertere, quanti sint facienda versiones Germanicæ,  
& quam non æquandæ Latino textui; sicut rectissimè *Li-*  
*mnaeus* monuit. Addimus hoc loco, in transitu: ex his &  
aliis Germanicis textibus A. Bullæ clarum esse *Latinè ab*  
*initio conscriptam, postea cēnum Germanici* (licet fortè non ad-  
eo diu postea) *versam esse.* An & hoc adjicere fas est: no-  
vissimam versionem Germanicam non omnia in melius re-  
tulisse; imò infra vetustiores non raro substitisse? Sed  
ut ad rem ipsam redeamus, Carolus crimen violati condu-  
ctus, eousque exaggerat, ut majestatis læsæ id haberi velle  
videri queat. Rationes graves & pæne irrefragabiles in-  
promtu sunt. I. Descriptio ipsissima criminis læsæ, in illis  
verbis validè continetur *si quis contra Remp. & Sacri Statum ac*  
*Dignitatem Imperii, tanquam rebellis & perfidus infideliter &*  
*perverse agere convincatur.* Ubi perfidæ rebellionis mentio ho-  
stilem animum in Rempublicam; Status & Dignitas Imperii,  
publicæ venerationis læsæ, & potestatis turbatæ significa-  
tionem portendit. II. quia Legislator, imitatorem Veterum Imperatorum agit in Aurea Bulla, sicut patet, velex cap.  
24. §. I. ex l. *Quisquis C. ad l. Jul. Maj. dimanante.* Jam au-  
tem inter Arcana Principatus Romani hoc fuit, ut crimina,  
quibus coercendis mediocria remedia non sufficiebant,,  
gravius appellando, etiam citra extensiones tyrannicas,  
specie legis majestatis tractarentur: notante *Tacito 1. A. 72, 4*

III. Si jam olim lege Juliâ constitutum fuit, ut is majestatis  
teneretur, cuius operâ consilio, volo malo consilium initum  
esset, ut magistratus P. R. quique imperium potestatem in-  
ha-

## CONDUCTOR

32

habebat occideretur : quid mirum, si securitati Electorum  
(qui magistratibus Romanis non satis digne compararen-  
tur ; cum altiore auspicio emineant) hac præscriptione  
caveretur ? cum præsertim IV . hostiles custodia & insidiæ  
nominentur, & V. Electores pars corporis Imperatorii sint,  
ut semper Sacrosancti & inviolabiles, ita præsertim in  
Electoris negotio & apparatu. Verum, si ita hæc exag-  
geratio interpretanda videatur, strictior esse debet in-  
terpretatio, neque ad ipsos Electores, sed ad ceteros Im-  
mediatos Mediosque, sicut in hac Constitutione ubi hæc  
verba leguntur, enumeratio fit, applicanda. Sed hæc ad  
declarandam exaggerationem criminis, ita allata par est  
intelligi, quatenus ad atrocissima crimina, pacis præser-  
tim publicæ violationem spectantia, coloribus depingen-  
da, ex natura & conditione criminum majestatis, aliquid  
mutuari solent Legislatores. Quod autem pro formaliter, ut  
loquuntur, crimen majestatis haberi per omnia voluerit  
violationem conductus sui, Carolus; vel propterea non  
fuerit existimandum, quia illâ appellatione, infra alias usur-  
patâ, hic non utitur: quamvis tanto studio & apparatu ve-  
lit rem magnam & horrendam facere.

Sicut in pœnarum denominatione amplius appareat.  
Pertinent autem pœnae partim ad omnes necessitate condu-  
cendi obligatos, si deliquerint: partim, ad singula genera, in  
quæ conductores tribuuntur. Communis omnium, pœna  
perjurii est, die Poen Meineids/ ut qui violaverit has con-  
ductus leges, pro perjuro habeatur, die sint glich meneidig/  
ut habet vetustior versio. Perjurium autem ad fidem Im-  
perio debitam, juratamque respicit.

Quantum ad Electores conductores attinet, præter  
pœnam perjurii, decernitur, perditio. pro illa duntaxat vi-  
ce, sue vocis quam in electione bujusmodi fuerat habiturus.

Quæ



# CAROLINUS.

33

Quæ quidem satis clara sunt : nisi quæ postea seqvuntur, difficultatem non minimam crearent. His enim pœnis, aliqui novum aliquid addi; nonnulli autem hanc ipsam privationem vocis §. 1. in §. 8. explicari & ἐξηγήσω<sup>ν</sup> produci existimant. Prior sententia nititur apparatu verborum, qui non otiosus debet putari: si quidem talis Princeps Elector extiterit ( qui contraire authas leges non adimplere, præsumserit ) ex tunc ceteri sui Coëlectores à suo ipsum deinceps excludant consortio, ipseque voce electionis & aliorum Principum Electorum loco, dignitate careat atque jure, nec investiatur de fenis, quæ à Sacro Imperio visus fuerit obtinere. Ita enim Msc. noster Codex habet. Versio vetustior : ist es/ daß er ein Kurfürst ist / zu stund so sollen die andern sin mit Churfürsten denselben fürbaß me aus ihrer Gesellschaft schliessen/ und soll darby verlyren Stymme der Kor und der Kurfürsten Stad/ Würdigkeit und Recht/ und soll auch nit ingesetzt werden von der Lehens w:gen/ die er von dem heiligen Riche heldet. Nec mutat recentior : Er sol anch sine Walstimme/ so wohl andre Churfürstliche Würdigkeit/ Stat und Gericht mangeln/ noch einiges Lehens/ so er vom H. Reich hett / fähig oder empfänglich seyn. Ubi tanta verborum frequentatio, quod debeat non voce tantum, sed dignitate, statu. jure, Electoral carere, videtur plusquam temporariam privationem ad unius Electionis actum restrictam & suspensionis natu ram referentem, exprimere. Quam Rümelinus ad A. B. dissert. 2. tb. 6. explicat: Elector has leges adimplere renuens, Electoratu suo privatur. Alii verba sine explicatione reputunt. Sed h̄c obstant rationes magni ponderis. Ut facere novum Electorem & Electoratum , ita etiam depone aut extingvere , res est ingentis molimini. An credi potest, Carolum , negotium totius Imperii auctoritate tractandum , in solius Collegii Electoralis manus re-

E

signas-



## CONDUCTOR

34

signasse? Dices forte: quidni? cuī tantum faveat dignitati Excellentissimi hujus Collegii: cui nec minora, si Electio-  
nem Imperatoriam consideramus, usu, consuetudine, & ipsā  
lege Carolinā tradita sunt; præterea, hæc *Depositio* non tam  
fieret à Collegiis Electoribus (nisi quoad executionem) sed  
Imperioriā totiusq; Imperii consentientis auctoritate in le-  
gem hanc publicam relata. Sed &, quantū à violatione hujus  
legis omnes deterrere voluerit Legislator severitate pœna-  
rum, ex toto verborum contextu constat: ut mirum vix esse  
debeat, si hæc quoque pœnæ acerbitas, ceteris pro portione  
quadam respondeat. Favere videtur & ratio severitatis; si E-  
lector ea, quæ ad honorem Electorum & salutem sancta-  
sunt, violet, ut dignus non videatur in tam sacrosancto Col-  
legio numerari, cui proprius honor & salus, non Collega-  
rum tantum, in leví habetur. Huc addi potest, quod de de-  
neganda Feudorum investiturâ dicitur. Qui enim non in-  
vestiendus est de feudis, quæ à S.R. Imperio visus fuerit obti-  
nere, in perpetuum exclusus à Collegio Electorum videri  
queat. Sed, ut hæc non sint nullius ponderis, facile tamen,  
qui omnia consideranda considerat, existimabit, non decer-  
ni perpetuam & plenam à Collegio Electorali exclusionem:  
in quâ disertissimis verbis & definitâ expressione opus  
videtur. Et, quia nulla hic praxis occurrit (quæ non mini-  
mum alias explicandis legibus momentum facit) forte huc  
potissimum inclinandum est & in toto negotio, & in dene-  
gandâ investiturâ, ut suspensio potius quam omnimoda pri-  
vatio Electoralis Dignitatis accipienda sit: donec scilicet, qui  
deliquerit, Imperio & Imperatori satisfecerit, & concessâ ve-  
niâ, investituram & pristinam dignitatem recuperaverit. Fle-  
xit huc oculos Arumæus, disc. 1. ad A.B. §. 15. cum vocem *investi-  
endi* strictè accipit, de prima investitura, exclusâ confirma-  
tione, quæ tamen cap. 2. §. 5. sancitur. Quod si Elector, inquit,

vel

-267917



vel Princeps, Comes, Baro, Nobilis, qui nondum de Electoratu, Principatu, Comitatu, Baronatu aut feudo investitus est, Constitutionem banc de salvo Conductu implere noluerit, aut ei contravenire presumserit, &c.

Pœna aliorum, qui non sunt Electores exprimitur, non uno modo. Primo de iis agitur, qui sunt Principes, Comites, Barones, Milites & Clientes; hic addunt nonnulla exemplaria, & universi nobiles contrarium facientes, quod etiam in MSC. nostro comparet; & retinuit Versio Germanica vetustior: Alle Fürsten und Graffen/ Landes-Herren/ Edel/ Ritter/ und Knechte und alle Wohlgeboren/ die darwieder thun. Sed, ut Goldastus Latinum textum in Constitutionibus exhibit, omittitur posteriore loco, vox, nobiles, & ponitur ita: & universi contrarium facientes, sicut etiam novissima Versio Germanica, ponit. Vir, de his studiis benè meritus, substituendum censet, ignobiles: ne bis nobilium fiat mentio. Nolim assentire. Si adjectiva vox est nobilium, valde vetustum est glossema, & ratio, cur accesserit, non adeo obscura est. Indicandum enim videbatur, de Nobilium pœna hic agi, quatenus à civibus & communitaibus in hac constitutione aliquotiens distinguntur, de quibus etiam mox sequitur. Est autem pœna, præter reatum perjurii, privatio feudorum omnium, que à S. Rom. Imperio, & à quibuscunque aliis obtinent, & etiam omnium possessionum suarum à quocunque habitarum. Die fallen in pœn Menydes und Verluste aller Lehen/ die sie von dem heiligen Rich hant und ander Lehen/ von weine sie die hant/ und alles ihres Guts/ wo sie es hand. ubi discrepat textus Germanicus vetustior, à Latino: quod ibi specificatio bonorum, ut vocant, hic origo & titulus spectatur. Plus autem videtur quodammodo indicari, si dicas, à quocunque habeas possessionem; atque his verbis ipsum titulum & occasionem exceptionis & prætextus bonæ fidei ac justi acquæstus, extinguas, quam si nomines bona ubicung, habita.

## CONDUCTOR

Civium & Communitatum pœna, præter perjurium, cuius notâ communiter violatores Conductus Carolini insig-  
niuntur, est privatio iurum, libertatum, privilegiorum, & gra-  
tiarum à sacro obtentarum imperio ; tum bannum ac proscri-  
ptio Imperialis, quam cum personis & bonis suis omnibus incur-  
rant. Cujus banni descriptio horribilis & plena habetur,,  
primum ab objecto, quod ad personas & bona pertineat :  
deinde ab effectu, quod cuilibet auctoritate propriâ & sine judi-  
cio seu invocatione magistratus cujuslibet impune violatores illos  
invadere , nullamque pœnam propter hoc invadens ipsos debeat  
ab imperio aut quovis alio formidare. Utrobique frequenti-  
bus verbis & copiosâ denuntiatione res geritur. Et in  
banni quidem descriptione, personas & bona Germanica.  
Recentior naturâ modâ expressit: *Vetustior reddidit, ex formu-*  
*la, puto, judiciali, Ihr Lip und Gut.* De illis verbis, quæ ef-  
fectum banni ordiuntur, quædam monenda sunt. Non bene  
enim interpungi plerumque, & omissis vocalis *quos & omni*  
*corrigi arbitramur.* Fortasse optume retinebitur integer  
textus, ut in *MSC.* etiam *nostro & Goldasti Constitutionibus*  
legitur; sed hac interpunctione, post *incurrunt*, nova sen-  
tentia inchoabitur in hunc modum : & eosdem, quos ipso  
facto exnunc prout extunc omni jure privamus, deinceps cuili-  
bet hominum auctoritate propria &c, licebit invadere. Præter-  
ea, sicut legislatio non ad singulos tantum, sed ad totas com-  
munitates ac civitates pertinet, ita etiam pœna banni totas  
universitates, ceu fulmen, cui comparatur, afflare potest. v.  
7ail. de P. P. 2, 9. Est enim hæc natura, horribilis hujus pœ-  
næ, ut feriat ubiunque potest, & quoscunque potest: cum in-  
venta sit ad terrotum augendum, quo incusso, ubi pertimue-  
rint, qui banno Imperiali perculti sunt, & ad satisfactionem  
decurrerint, æquitate Judicis, etsi ad instantiam partis im-  
petratum est hoc fulmen, etiam partis moderatione , vel  
spon-

## CAROLINUS.

37

spotaneâ, vel à Judice elicita (præsertim ubi de tota communitate agitur) de rigore, vix abest, quin aliquid remittatur. In talibus enim, rigor immobilis, ad ultimos casus, ubi res publica dirâ necessitate ad statuendum exemplum compellitur, reservari solet.

Ceterum proscriptio Imperialis in Vetustiore Versione dicitur Kaiserliche Acht/ in Recentiore des heiligen Reichs Acht. sicut in plurimis monumentis ista cñ wdgmn̄ls dici, notum est.

Invasio banniti, quæ hic permittitur, intra terminos strictiores, & citra interfectionem, merito & prudenter, ut arbitror, à Limne, coercetur. Sed nobis non est constitutum hoc loco de banno Imperiali prolixius agere.

### Uſus Constitutionis hujus de Conductu Carolino, an ē quis hodie.

Dubitari ferè posset, an magnushodiè hujus legislationis uſus sit. Itaeniuſ Freherus cap. XII. de Tutela Curaque Testamentaria Electorali: *Conductus Electorum ad Comitia euntium tam accurate præscriptus, pene totus in desvetudinem abiit: credo, quia Pace publica firmata melius quam Bullæ tempore, & securitate viarum publicarum vigente, custodiā & conductu illo parum opus.* Salva tanti viri auctoritate, existimem. hæc liberalius dicta. Non enim in desvetudinem abiisse totum hunc Conductum Carolinum, vel novissima exempla demonstrant. Minore cura sollicitudine ac severitate rem geri, quam in Carolinâ Constitutione continetur, verum est: & fiduciâ pacis securitatisque temporum solet evenire; ut in multis aliis cernimus. Tertio argumentum Freherianum adversus omne jus conducendi eadem argumentandi ratione converti posset: quod tamen non solet dimitti, ut notum est. Quarto, si, quod Deus prohibeat,



## CONDUCTOR

38

beat, pericula temporum priorum redirent, præsentius cerneretur & expromta in originarios usus eslet Lex Carolina; cuius auctoritas, desuetudinis obtentu, nequaquam immunduenda videtur.

Testatur etiam interea pleno vigore, de sanctitate Electoralis axiomatis; & operis Electorii, ad totius Imperii perpetuam salutem pertinentis, majestate. De quibus nihil decerpendum est ullo prætextu.

Ad illustrandas legislationes de Pace Publica, ad hoc exemplum in multis exactas, quam potentibus momentis pertineat, fortiter ostendi posset, si hoc jam ageremus.

Nomothesia Caroline, quam sit accuratum hoc specimen, itidem clarius est, quam ut dici debeat.

Neq; de lisibus historicis, ad Notitiam Imperii, ejus temporis, spectantibus, aliquid adjiciendum ducimus, expleta jam mensurâ hujus scriptiunculæ ἀνωχεδίως deproperatæ.

---

## COROLLARIA.

### I.

**A**Nullo casu aut causâ Christianis fas sit, Turcarum armis viribusque aliquos Christianos oppugnare? N.

### II.

An Principi Christiano à Turcis impugnato, teneantur alii Principes Christiani, si postulantur, auxilium ferre; idque jure divino & naturali? A.

### III.

Præcipuum potentiae Turcicæ robur in quibus  
con-

consistat; tum in quibus præcipua infirmitatis indica appareant?

## IV.

Donationes à Principe moriente emendicatae, an jure revocari possint: Rationes dicet *Hieronymus Orosius lib. I. de reb. Emmanuelis Lusit. R.*

## V.

Rectius ne severitate adversus Judæos anno 1482 usi sint Fernandus & Isabella Castellæ Reges, an benignitate & mansuetudine, Joannes & postea Ejus successor Emmanuel, Lusitaniæ Reges?

## VI.

An conditores XII. Tabb. in lege, qui alienas fruges excant assit, capital esto, fieri hoc posse magicis artibus crediderint, an propositum tantum & conatum magicum puniri voluerint? Conferendi sunt *Augustinus de C. D. VIII, 19. Plinius XXX, I. & XXVIII, 2. Senec. Nat. Q. IV, 7. Apulejus apolog. I.*

## VII.

An illud ab Apulejo ex antiquioribus sumtum verum sit: *Quindecim liberi homines, populus est; totidem servi familia, totidem vinciti ergastulum?* A. si populus μεωπικῶς e.g. de vico aut pago; familia & ergastulum εἰρητῶς de plenioribus legitimisque capiantur.

## IX.

CKTK 2126 (0) 3  
IIX.

An Scipio Gentilis in *Apolog.* Apuleji (pag. 246.) recte existimet, morem scripto agendi causas, magno reip. malo inductum esse? N.

IX.

An lex Attica & judicii Martii consuetudo, quâ patroni cause, principia dicere & miserationem movere vetabantur, ad actores tantum pertinuerit: &, an omnino probanda sit? Non probanda indefinite videtur. Vid. Quintil. II, 17. & VI, 1. Apulej. Miles. X.

X.

An Poëtæ, philosophicè, fames dicatur Furium maxima? sive: an nulla pœna sit fame gravior; A.



XII

KD

POL

